

PONTIFICIA COMMISSIONE
CODICI IURIS CANONICI
RECOGNOSCENDO

COMMUNICATIONES

VOL. XII - N. 2

1980

COMMUNICATIONES

PONTIFICIA COMMISSIO CODICI IURIS
CANONICI RECOGNOSCENDO

PIAZZA PIO XII, 8 - 00193 ROMA

NUM. 2

DECEMBRI 1980

EX ACTIS IOANNIS PAULI PP. II

Allocutiones

| | |
|--|-----|
| I. Ad partipes IV Conventus Internationalis de Iure Canonico Friburgi in Helvetia celebrati | 203 |
| II. Ad Patres Synodales in Sacello Sixtino ad concludendum V Coetum Generalem Synodi Episcoporum | 208 |

EX ACTIS SYNODI EPISCOPORUM

| | |
|---|-----|
| I. Relatio de opera Signaturae Apostolicae in causis matrimonialibus pro tuenda familia | 215 |
| II. Relatio Pontificiae Commissionis CIC recognoscendo: | |
| 1. De labore a Commissione peracto et peragendo | 220 |
| 2. De iure Familiae in Schemate CIC | 225 |

EX ACTIS SANCTAE SEDIS

Sacra Congregatio pro Doctrina Fidei

| | |
|--|-----|
| Responsa ad proposita dubia | 234 |
| <i>Pontifícia Commissio Decretis Concilii Vaticani II interpretandis</i> | |
| Responsa ad proposita dubia | 235 |

ACTA COMMISSIONIS

Opera Consultorum in recognoscendis Schematibus canonum

| | |
|--|-----|
| I. Coetus studiorum « De Populo Dei » | 236 |
| II. Coetus studiorum « De Locis et de Temporibus sacris deque Cultu divino » | 319 |
| III. Coetus studiorum « De bonis Ecclesiae temporalibus » | 388 |

DOCUMENTA

| | |
|---|-----|
| I. De Indicibus operis Acta Synodalia S. Concilii Oecumenici Vaticani II | 436 |
| II. Disceptatio circa Relationem in Synodo Episcoporum habitam de opera Signaturae Apostolicae | 438 |
| III. Disceptatio circa Relationem in Synodo Episcoporum habitam de opera Recognitionis Codicis Iuris Canonici | 451 |
| IV. Certaminis Vaticani celebratio | 456 |

| | |
|--------------------|-----|
| NOTITIAE | 459 |
|--------------------|-----|

III

COETUS STUDIORUM DE BONIS ECCLESIAE TEMPORALIBUS

Postquam « Schema Libri V de iure patrimoniali Ecclesiae » Episcoporum Conferentiis, Sacris Romanae Curiae Dicasteriis et Universitatibus Studiorum Ecclesiasticis pro consultatione missum fuerat, 80 vota ad his Organis Pontificiae Commissioni Codici Iuris Canonici recognoscendo scripto pervenerunt, quibus animadversiones et suggestiones de novo iure patrimoniali Ecclesiae factae sunt.

Ab examinandas et perpendendas tales animadversiones, parvus aliquis Coetus Consultorum constitutus est in quo partem habuerunt: Exc.mus Rosalius Castillo Lara, Secretarius Commissionis, Exc.mus Vincentius Fagiolo; Rev.mi: Villelmus Onclin, Archangelus Ranaudo, Alfonsus Stickler, Iosephus Belluco; Ill.mus Prof. Marius Petroncelli.

Praeside Cardinali Pericle Felici, munere Moderatoris functus est Exc.mus Secretarius Castillo Lara et munere actuarii Rev. Francisco Voto, officialis Commissionis.


Singulis Consultoribus distributus est fasciculus aliquis, a Rev.do Voto redactus, quo synthesis omnium animadversionum ac suggestionum ab Organis consultationis factarum praebetur.

SESSIO I (diebus 17-23 iunii 1979 habita)

Ante omnia examinatae sunt animadversiones ordinis generalis quae ita enucleari possunt:

A) Nullum Organum consultationis sententiam negativam de toto Schemate in genere expressit. Plura Organa (n. 28) sententias affirmativas de toto Schemate in genere dixerunt etsi animadversiones circa hunc vel illum canonem non omiserint. Omnia alia Organa (n. 52) animadversiones in singulis canonibus fecerunt, quin aliquod iudicium complexivum de toto Schemate dederint; attentis autem eorum votis et suggestionibus ad canones perficiendos, licet arguere Schema ipsis placuisse iuxta modum.

Exitus consultationis ergo est quod Schema omnibus placuit iuxta modum.



B) Peculiares aliquas notas de Schemate plures in lucem miserunt ad suas sententias affirmativas corroborandas. Quae notae ita breviter recenseri possunt:

- ratio habetur de iure particulari ita ut principium subsidiarientatis magnam obtinet applicationem in hoc Schemate, et merito quidem, attenta materia de bonis temporalibus;
- novum ius respondet: « Principia quae recognitionem CIC dirigant », a Synodo Episcoporum approbata, necnon spiritui Concilii Vaticani II;
- apta solutio adumbrata est circa quaestiones beneficiorum et circa constitutionem « massae communis » bonorum;
- normae sano realismo imbutae sunt;
- regimen bonorum rationem habet indolis socialis bonorum Ecclesiae, contra indolem individualistica systematis beneficialis propriam;
- consummata technica iuridica, qua structura CIC fundamentaliter retinetur et tamen varia instituta funditus renovantur;
- normae eminent claritate, simplicitate et spiritu aequitatis necnon caritatis ac paupertatis ecclesialis;
- materia optime inter varias partes distributa est;
- opportune remissio interdum fit ad ius civile vel commendatur ut de ipso ratio habeatur in pluribus negotiis explendis.

C) Nonnulli crisim fecerunt de quibusdam aspectibus novi Schematis, his de causis:

- lex generalis plura ad legem particularem remittit; e contra praferenda videtur lex generalis quae in omnibus partibus sit completa.
- Quamvis indoles huius Schematis talis sit ut ratio habeatur de peculiaribus exigentiis localibus per applicationem principii subsidiarientatis factam, opportunum videtur ut ultro procedatur conferendo quibusdam normis generalis vim non cogentem sed facultativam.
- In Schemate nimis sermo fit de his quae attinent ad sustentationem clericorum, quod quidem incongruum videtur si attendatur ad ea quae omissa sunt circa communionem bonorum ecclesiasticorum, destinationem bonorum pauperibus, spiritum paupertatis.
- Normae huius Schematis nimis praeoccupatae sunt de aspectu technico-administrativo bonorum ecclesiasticorum, ita ut patrimonia protegantur vel potius augeantur; e contra oporteret illa patrimonia

moderare in ordine ad necessitates pastorales Ecclesiae, ex. gr. conferendo etiam Consilio pastorali quaedam iura circa vigilantiam et administrationem bonorum.

D) Nonnulli suggestiones particulares fecerunt circa lacunas quasdam implendas, nempe:

— ut iuxta Encyclicam *Populorum Progressio* innatur de usu bonorum, quae supersunt, ad sublevandos pauperes;

— ut peculiares facultates tribuantur Episcopis ita ut ipsis agnoscatur potestas supremi « dispensatoris » in dioecesi;

— ut mentio fiat de munere Summi Pontificis ad effectum deducendi principia quae habentur in *Christus Dominus*, n. 6 (*Ecclesiae Sanctae*, I, n. 5) et *Gaudium et Spes*, nn. 72 et 88 circa obligationes Ecclesiarum particularium sublevandi Ecclesias particulares paupe-riores;

— ut missionarii inducant communites dioecesium novae constitutionis ut sibi ipsae provideant media necessaria, quin ultiro depen-deant ab auxilio aliarum ecclesiarum;

— ut inserantur in Schemate normae S. Congregationis pro Clericis diei 11/4/1971 circa tutelam patrimonii ecclesiastici quod peculiarem valorem habeat ratione artis vel historiae.

E) Nonnulli votum fecerunt ut in Schemate habeatur uniformitas terminorum.

Consultores aliquas considerationes faciunt circa singulas quaestiones nuper recensitas, attamen praevalet mens nihil decidendi modo generali. Ipsi Consultores vero prae oculis illas animadversiones gene-rales habebunt, ita ut quando singula instituta vel canones examina-buntur, mutationes proponant, si quas proponendas habeant, quibus ratio habeatur de illis animadversionibus.

* * *

De quibusdam autem quaestionibus generalibus, quas Organa con-sultationis fecerunt, Consultores volunt accuratiorem discussionem fa-cere et solutionem praeliminarem habere, antequam suggestiones circa singulos canones examinentur. Quae quaestiones sequentes sunt:

1. *De relationibus inter Episcopos et Episcoporum Conferentias.*

Plures animadvertisunt in Schemate nimiam potestatem tribui Episcoporum Conferentiis circa aliqua instituta, ita ut instauretur aliquod ius vigilantiae supra Episcopos, quod quidem intolerabile videtur attentis sive principiis doctrinalibus sive consecutariis practicis.

Consultores concordes sunt ut e Schemate expungatur quidquid implicare possit vigilantiam Conferentiae supra Episcopos, vel atten-
tare possit Episcoporum iuri regendi suas Ecclesias uti pastores ordi-
narii et immediati. Attamen, attentis documentis Concilii Vat. II,
praevideri debent quaedam normae, quibus melior coordinatio asse-
quatur ope Episcoporum Conferentiarum circa regimen bonorum eccl-
esiasticorum quod attinet ad peculiaria quaedam instituta.

2. *De regimine bonorum personarum iuridicarum.*

Cum in novo iure introducta sit distinctio inter personas iuridicas publicas et privatas, in Schemate iuris patrimonialis ratio habita est huiusmodi distinctionis, attamen, uti animadverterunt quaedam Organa consultationis, in variis normis incertitudo aliqua exsurgit ita ut dubia habeantur circa ea quae pertinent ad regimen bonorum personarum iuridicarum publicarum et ea quae pertinent ad regimen bonorum perso-
narum iuridicarum privatarum.

Ad incertitudinem et dubia tollenda suggestum est ab aliquibus ut repristinetur notio « bonorum *ecclesiasticorum* » quoad bona quae per-
tinent ad personas iuridicas publicas, id est tantum bona personarum iuridicarum publicarum qualificantur uti « *ecclesiastica* ».

Consultores suas sententias exprimunt circa hanc quaestionem. Fere omnes admittunt opportunitatem repristinandi notionem « bonorum *ecclesiasticorum* » relate ad bona quae pertinent ad personas iuridicas publicas, ita ut ubicumque in canonibus fiat sermo de « bonis *ecclesia-
sticis* » norma intelligi debeat de bonis quae pertinent ad personas iuri-
dicas publicas. Quod si in aliquo casu intelligi debeat de bonis quoque personae iuridicae privatae, id expresse dici debet.

Unus Consultor vero non idem sentit, quia, de sua sententia, non possunt dari personae iuridicae quae sint *privatae*, quarum bona non sint *ecclesiastica*; consequenter super omnia bona exerceri debet ius vigilantiae Ecclesiae.

Quaestio habetur inter Consultores de natura et extensione vigi-

lantiae Ecclesiae circa bona personae iuridicae privatae. De sententia alicuius Consultoris talis vigilantia est illa quae competit Ecclesiae ratione suae potestatis iurisdictionis et ideo se extendit ad omnia quae attinent sive acquisitionem, sive alienationem sive administrationem bonorum. De sententia aliorum Consultorum vero non potest prescindere a natura privata huiusmodi bonorum et a facto quod illae personae iuridicae, utpote privatae, non agunt nomine Ecclesiae, ideo vigilantia Ecclesiae circa illa bona tendere tantum debet ut eadem bona adhibeantur secundum fines in statutis determinatos.

Alter Consultor animadvertisit quod, post promulgationem novi Codicis, plures personae iuridicae ecclesiasticae, iam abhinc multos annos constitutae, erunt personae privatae secundum novum ius. Consequenter bona ipsarum, quae antea considerabantur « bona ecclesiastica », exinde erunt bona privata; hic casus aliquam considerationem meretur. De sententia tertii Consultoris in Codice poni debet norma aliqua transitoria circa huiusmodi bona. Alii Consultores praferunt ut de hac quaestione habeatur discussio post revisionem schematis, ita ut maturius aliqua solutio accipiatur, si quae accipienda sit.

3. De regimine bonorum quae ad Instituta perfectionis pertinent.

Suggestum est ut normae huius schematis applicentur etiam ad bona quae pertinent ad Instituta perfectionis, vel normae addantur peculiares pro illis bonis, ita ut in eodem Libro iuris canonici, unitario modo, tractentur ea omnia quae pertinent ad bona temporalia.

Excusus Secretarius respondet mentem nostrae Commissionis esse ut de illis bonis tractetur in parte de Institutis perfectionis.

— Suggestum est etiam ut quoad bona quae ab Institutis perfectio- nis administrantur, introducatur aliqua distinctio inter bona quae ad sustentationem sodalium Institutorum perfectionis impenduntur et bona quae destinantur ad opera ab Institutis dependentia. Consultores censem hanc materiam pertinere ad Coetum de Institutis perfectionis.

F) De ordinatione systematica novi schematis.

Praeter quaestiones particulares quoad singulos quosdam canones alibi collocandos, nonnulla Organa consultationis novam dispositionem materiae proposuerunt. Unumquodque Organum tamen propositionem diversam fecit, uti patet ex prospectibus qui sequuntur:

I

- Tit. I: Tit I et II schematis.
Tit. II: Tit. IV schematis ubi transferri debent etiam cc. 4 et 10-12.
Tit. III: Tit. III schematis.
Tit. IV: Tit. V schematis.

II

Can. 1 (generalis).

- Tit. I: De oblationibus et tributis.
Tit. II: De domini subiectis eorumque organis.
Art. 1: De dominii subiectis.
Art. 2: De organis.
Tit. III: De bonorum administratione.
Art. 1: De administrationis principiis.
Art. 2: De negotiis iuridicis in rebus temporalibus.
Tit. IV: De bonis in specie.
Art. 1: De bonis cultui divino destinatis.
Art. 2: De bonis sustentationi ministrorum destinatis.
Art. 3: De bonis operibus apostolatus et caritatis destinatis.

III

- Tit. I: Canones praeliminares ... cann. 1, 2, 3.
Tit. II: De acquisitione bonorum cann. 35 et 4-12.
Tit. III: De subiecto dominii cann. 13-17.
Tit. IV: De administratione bonorum cann. 18-34.
Tit. V: De alienatione bonorum et speciatim de contractibus cann.
35-44.
Tit. VI: De piis voluntatibus in genere et de piis fundationibus
cann. 45-57.

IV

- Tit. I: Canones praeliminares: cann. 1, 13, 14, 15, 2, 3, 16, 17.
- Tit. II: De modis publicis et privatis bona acquirendi: cann. 4, 5, 6, 7, 8, 35, 9, 10, 11, 12.
- Tit. III: De administratione bonorum: cann. 18-34.
- Tit. IV: De alienatione et speciatim de contractibus: cann. 36-44.
- Tit. V: De piis voluntatibus in genere et de piis fundationibus: cann. 45-57.

Consultores nolunt definitive de ordinatione systematica aliquid decernere, attamen, post brevem discussionem, ipsi convenire videntur in disponendo canones secundum hunc ordinem:

- Canones praeliminares.
- De oblationibus et tributis, vel de acquisitione bonorum.
- De administratione bonorum.
- De negotiis iuridicis, praesertim de alienatione.
- De piis voluntatibus.

G) *De inscriptione Libri V*

Circa inscriptionem Libri V nonnullis minus placuit quae praebetur in Schemate, scilicet « De iure patrimoniali Ecclesiae » et suggestum est ut repristinetur inscriptio « De bonis Ecclesiae temporalibus », quae a traditione commendari videtur.

Aliquis proposuit ut inscribatur: « De Ecclesiae patrimonio temporali », sed suggestio non placet, quia verbum « patrimonium » innuere videtur ideam magnae quantitatis bonorum ecclesiasticorum.

Consultores magis praeferunt ut repristinetur inscriptio « De bonis Ecclesiae temporalibus ».

Adunatio diei 19 iunii 1979

TITULUS I
CANONES PRAELIMINARES

Can. 1 (can. 1495, § 1; Legis Ecclesiae Fundamentalis, can. 82, § 2)

Ecclesia catholica et Apostolica Sedes bona temporalia iure nativo acquirere, retinere et administrare valent ad fines sibi proprios prosequendos.

— Consultores delere volunt rubricam: « Tit. I. Canones praeliminares », ratione uniformitatis cum aliis partibus Codicis; mos enim est nullam rubricam preeponere canonibus qui sunt praeliminaires.

— Suggestum est ab aliquibus ut ex § 1 expungantur verba « Apostolica Sedes », ita ut in hoc canone dicatur in genere de iure Ecclesiae acquirendi, retinendi et administrandi, et in can. 13 dicatur quod tale ius explicatur in Ecclesia a Sede Apostolica et a personis iuridicis.

Aliquis Consultor tenet hanc suggestionem accipiendam esse et etiam alii Consultores concordant, eo vel magis quod etiam in LEF (can. 82 § 2) ius nativum acquirendi, retinendi et administrandi dicitur modo generali de Ecclesia, quin mentio fiat de Sede Apostolica.

— Nonnulli proposuerunt ut fiat mentio etiam de Ecclesiis particularibus quae habent ius acquirendi, retinendi et administrandi bona temporalia. Propositio non placet Consultoribus, quia sub nomine « Ecclesia » veniunt etiam Ecclesiae particulares.

— Aliquis Consultor proponit ut can. 1 ita redigatur: « Ecclesia catholica in variis suis personis iuridicis bona temporalia iure nativo independenter a civili potestate acquirere, dominio usque tenere, administrare et alienare valet ad fines... ». Consultoribus haec formula non placet sive quia per verba « in suis personis iuridicis » exurgit dubium num Ecclesia qua talis habeat tale ius, sive quia eadem verba erronea videntur, cum non omnes personae iuridicae habeant tale ius « iure nativo ».

— Consultor quidam proponit ut in can. 1 statuatur ius Ecclesiae habendi proprias normas circa possessionem, acquisitionem, alienationem bonorum in Ecclesia. Sed alii Consultores sunt contrarii ut

mutetur materia can. 1, de iure nativo nempe Ecclesiae acquirendi, retinendi et administrandi bona.

— Suggestum est ut dicatur « possiedere » loco « retinere », ratione etiam uniformitatis cum can. 2. Consultoribus magis placet verbum « retinere », et etiam in aliis canonibus dici debet « retinere » loco « possiedere ».

— De sententia unius Organi consultationis addi debet in canone: « ...administrare et alienare valent... », quia alienatio non est actus administrationis. Hanc sententiam favent duo Consultores, dum alii duo sunt contrarii, quia alienatio non est nisi actus administrationis etsi extraordinariae.

Fit suffragatio an placeat addere verbum « alienare »: placet 5, non placet 1.

— Nonnulli conquesti sunt quia omissa sunt verba CIC « independenter a quacumque potestate », dum alii, talem omissionem approbantes, dixerunt id respondere novae conceptioni ecclesiologicae, qua Ecclesia subiicitur ordinamento iuridico civili quoad organizationem administrativam bonorum, etsi ambo societates sint liberae et independentes.

Unus Consultor meminit illa verba omissa fuisse a Coetu Consultorum ut non remanerent in Codice vestigia contentionum dissentionumque inter potestatem civilem et ecclesiasticam. Consultores tamen censem illa verba repristinanda esse ne praebeatur ansa interpretationibus doctrinalibus quas Consultorum Coetus minime cogitavit. In canone ergo addi debent verba « independenter a civili potestate ».

Can. 2 (novus)

In Ecclesia bona temporalia acquiruntur, possidentur, administrantur in fines qui a doctrina Christi et ab ipsius Ecclesiae ordinatione statuuntur, praesertim ad cultum divinum ordinandum, ad honestam cleri aliorumque ministrorum sustentationem procurandam, ad opera sacri apostolatus et caritatis exercenda.

— Suggestum est ut hic canon fiat § 2 canonis 1. Propositio haec maiori parti Consultorum placet (placet 4, non placet 2).

— Plures proposuerunt ut addatur: « ...caritatis, praesertim erga egenos, exercenda... » (Omnibus placet).

— Nonnulli proposuerunt ut, praeter fines in canone recensitos, alii quoque fines memorentur, ex. gr. auxilium operibus missionariis.

Aliquis Consultor expresse recensire vellet etiam finem promovendi culturam. Fere omnes Consultores censem omnes alii fines qui addi possent non esse nisi explicationem quandam finium qui veniunt sub formula generali « opera sacri apostolatus et caritatis ».

His dictis formula ita redigitur:

§ 2. Fines vero proprii praecipue sunt: cultus divinus ordinandus, honesta cleri aliorumque ministrorum sustentatio procuranda, opera sacri apostolatus et caritatis, praesertim erga egenos, exercenda ».

* * *

Aliquis Consultor censem etiam cann. 13-14 schematis transferendos esse in hunc locum tamquam canones generales. Tales canones potiores normas referunt de subiecto dominii, ideo si placet illos inter canones generales transferre, supprimi poterit rubrica « De subiecto dominii ». Propositio haec placet Consultoribus, uno tantum excepto.

Fit ergo recognitio cann. 13 et 14, qui erunt cann. 2 et 2 bis.

Can. 13 (can. 1495, § 2)

Quaevis persona iuridica, sive publica sive privata est subiectum capax bona temporalia acquirendi, retinendi et administrandi ad normam iuris.

Ex suggestione facta ab aliquo Organo consultationis, Consultoribus placet ita canonem redigere:

« Praeter Ecclesiam universam atque Apostolicam Sedem, etiam Ecclesiae particulares necnon quaevis persona iuridica, sive publica sive privata, subiecta sunt capacia bona temporalia acquirendi, retinendi, administrandi et alienandi ad normam iuris ».

Adunatio diei 20 iunii 1979

Can. 14 (can. 1499, § 2)

Dominium bonorum, sub supra auctoritate Romani Pontificis, ad eam pertinet iuridicam personam, quae eadem bona legitime acquisiverit.

— Suggestum est ut deleantur verba « sub supra auctoritate Summi Pontificis », quia hic canon tribuit dominium bonorum personis

iuridicis et non appareat ratio mentionis supremae auctoritatis Pontificis in hoc contextu.

Aliquis Consultor censem illa verba esse opportuna etiam in contextu canonis, quia denotant naturam auctoritatis Summi Pontificis supra bona ecclesiastica, quod scilicet talis potestas non aequivalet dominio.

Duo alii Consultores vero vellent aliquo modo componere hunc canonem cum can. 18 schematis, sed alii Consultores sunt contrarii.

Fit suffragatio an placeat retinere formulam canonis uti est: placet 4, non placet 2.

— De sententia alicuius Organi consultationis cavendum est ne auctoritates ecclesiasticae ullo modo attentare possint dominio quod personae iuridicae detinent circa propria bona. Consultores censem hanc normam esse superfluam, quia clare eruitur ex canone nuper approbato. Auctoritates enim ecclesiasticae non possunt disponere de bonis personarum iuridicarum sua iurisdictioni subiectarum, nisi ad normam legis.

* * *

Unus Consultor proponit ut hic ponatur novus canon de qualificatione bonorum, sive quae ad personam iuridicam publicam sive quae ad personam iuridicam privatam pertinent; proponit ergo ut haec materia moderetur hac norma:

Can. 2 ter:

§ 1. Bona temporalia omnia quae ad Ecclesiam, Apostolicam Sedem vel quascumque in Ecclesia personas iuridicas publicas pertinent sunt bona ecclesiastica.

§ 2. Bona personae iuridicae privatae, quamvis non sint bona ecclesiastica, subsunt tamen generali vigilantiae Episcopi ut eorum destinatio ad fines proprios in statutis definitos servetur.

Quoad § 1 alter Consultor proponit ut formula mutetur hoc modo: « Bona ecclesiastica vocantur et sunt bona temporalia omnia, quae ad Ecclesiam universam vel ad Apostolicam Sedem aliasve in Ecclesia personas iuridicas publicas pertinent ».

Alii Consultores preeferunt formulam primi Consultoris, quia melius cohaeret cum formula § 2.

Quoad § 2 animadvertisit Consultor quidam ut non tribuatur ius vigilantiae circa bona non ecclesiastica. Adsunt enim consociationes

laicorum in Ecclesia, quibus aliqua autonomia agnoscitur a Concilio Vat. II in apostolatu promovendo; tali autem autonomia non patitur quod vigilantia iurisdictionalis Episcopi exerceatur super bona illarum laicarum consociationum. Deinde habetur accurata discussio inter Consultores circa ambitum libertatis consociationum laicarum circa bona temporalia et omnes convenientiunt talem libertatem moderari a statutis singularum consociationum. Alter Consultor proponit ut can. 15 * Schematis confluat in hunc can. 2 ter. Alii Consultores hanc propositionem approbant et ita, communis consilio, canonem redigunt:

« § 1. Bona temporalia omnia quae ad Ecclesiam universam, Apostolicam Sedem aliasve in Ecclesia personas iuridicas publicas pertinent sunt bona ecclesiastica et reguntur canonibus qui sequuntur necnon propriis statutis.

§ 2. Bona temporalia personae iuridicae privatae reguntur propriis statutis, non autem hisce canonibus, nisi expresse aliud caveatur ».

* * *

Consultoribus placet represtinarare can. 1498 CIC, ut vitentur dubia et etiam ratione melioris technicae iuridicae. Formula canonis ita erit:

« In canonibus qui sequuntur nomine Ecclesiae significatur non solum Ecclesia universa aut Sedes Apostolica, sed etiam quaelibet persona iuridica publica in Ecclesia, nisi ex contextu sermonis vel ex natura rei aliud appareat ».

Hic canon erit can. 2 quater.

* * *

Omnis canones nuper approbati erunt canones generales. Post tales canones ponitur Tit. I: « De acquisitione bonorum ». Sub hac rubrica poni debet materia cann. 3-17, qui habentur in Schemate et supprimi ideo debet rubrica Tit. II quae inscribitur: « De subiecto dominii ».

* En textus can. 15:

§ 1. *Bona quae ad personas canonicas publicas pertinent moderantur statuta necnon canones qui sequuntur.*

§ 2. *Bona autem quae ad personas canonicas privatas pertinent moderantur ius particulare et propria statuta, nisi aliud in hisce canonibus cautum sit.*

— Consultores, unanimi consensu, transferre volunt can. 35 sub hac rubrica « de acquisitione bonorum ». Ideo can. 35 erit can. 2 quinquies. Formula ita dicit: « Ecclesia acquirere bona temporalia potest omnibus iustis modis iuris sive naturalis sive positivi, quibus aliis licet ».

Can. 3 (can. 1496)

Ecclesiae nativum quoque ius est exigendi a christifidelibus quae ad fines sibi proprios sint necessaria.

— De sententia cuiusdam Organi consultationis ius Ecclesiae habendi a christifidelibus media necessaria ad fines proprios prosequendos fundatur in facto quod ipsi christifideles sunt membra Ecclesiae; ideo, potius quam de iure « exigendi », loqui debet in canone de iure « sibi providendi necessaria ad fines suos diversis modis ». Iuxta alios vero « ius exigendi » dicit aliquod ius tam cogens, quod sanctionibus poenaliibus muniri potest, quod quidem sensibilitati hodiernae parum convenit. Melius est si dicatur « ius petendi », vel « ius colligendi », vel « ius exquirendi ». Nonnulli vero censem melius esse si in canone loquatur non de iure Ecclesiae, sed de officio christifidelium subveniendi necessitatibus Ecclesiae.

Consultores unanimiter censem per hunc canonem enunciandum esse ius Ecclesiae exigendi a christifidelibus necessaria ad proprios fines prosequendos; ad verbum autem quod attinet, omnibus placet ut dicatur « ius est exquirendi ».

— Consuloribus placet delere verbum « quoque ».

Can. 4 (can. 1496; LEF, can. 23)

§ 1. Christifideles obligatione tenentur contribuendi ut fines de quibus in can. 2 Ecclesia assequi possit.

§ 2. Specialiter meminerint christifideles se teneri obligatione curandi ut necessaria praesto sint subsidia ad honestam sustentationem eorum qui in bonum spirituale fidelium in Ecclesia operam impendunt.

§ 3. Episcopi de his obligationibus fideles monere tenentur et opportuno modo eas urgere curent.

— Consulor quidam proponit ut in canone dicatur etiam de iure quod christifideles habent conferendi bona temporalia in favorem Ecclesiae (omnibus placet).

— Suggestum est ut § 2 deleatur, quia superflua videtur (placet omnibus).

— Aliquis Consultor proponit ut can. 4 ita redigatur:

« § 1. Integrum est christifidelibus bona temporalia in favorem Ecclesiae conferendi.

§ 2. Christifideles obligatione tenentur contribuendi ut Ecclesiae praesto sint media, ad fines de quibus in can. 1, § 2 prosequendos necessaria.

§ 3. Episcopus dioecesanus curet ut de hac obligatione fideles mo- neantur et opportuno modo eam urgeat ».

Fit suffragatio an placeat § 1: placet omnibus.

Fit suffragatio an placeat § 2: placet 1, non placet 5.

Fit suffragatio an placeat § 3: placet 1, non placet 5.

Alter Consultor proponit ut tamquam § 2 retineatur formula Schematis, scilicet: « Christifideles obligatione tenentur contribuendi ut fines de quibus in can. 1, § 2 Ecclesia assequi possit » (placet 5, non placet 1).

Tertius Consultor proponit ut tamquam § 3 retineatur formula schematis, dicendo tamen « Episcopus » loco « Episcopi » (placet 5, non placet 1).

Adunatio diei 21 iunii 1979

Can. 5 (cann. 1504, 1506, 1507)

§ 1. *Ius Ordinariis locorum est tributa imponendi personis ecclesiasticis tam physicis quam iuridicis sive publicis sive privatis, quatenus necessaria sint in bonum dioecesis. Tributa ne imponantur nisi auditio Consilio presbyterali.*

§ 2. *Conferentiae Episcoporum pro suo quaeque territorio normas statuere debent ad ordinationem tributorum regendam.*

§ 3. *Fideles subsidia Ecclesiae conferant per subventiones rogatas et iuxta normas a Conferentiis Episcoporum probatas. Episcopi tamen suasione magis quam coactione fideles inducant ad hanc obligationem implendam.*

— Circa §§ 1-2 plures animadversiones factae sunt ab Organis consultationis, quia tribuitur Episcopo potestas imponendi tributa quae illimitata videtur sive in ordine ad personas tributis subiiciendas, sive

in ordine ad bona quae tributis gravari possint. Praeterea nimis vagum videtur criterium pro impositione tributorum « quatenus necessaria sint in bonum dioecesis ».

Nonnullis opportunum videtur ut §§ 1-2 melius coordinentur, quia consilium presbyterale, de quo in § 1, aliter sentire posset de normis ab Episcoporum Conferentiis editis vi § 2. Non desunt qui petant ut § 2 deleatur, quia saepe saepius conditiones singularum dioecesium differunt inter se et non convenit dare normas uniformes pro tota regione.

Tres Consultores censem normas §§ 1-2 opportunas esse sive quia decet ut sustineatur principium de potestate Episcopi imponendi tributa, sive quia ambitus huius potestatis, qui maior est in Schemate quam in CIC, expostulatur ex novo systemate quod suum fulcrum habet in massis communibus opportunis mediis ditandis. Ceterum potestas Episcopi non est illimitata quia subiacet normis generalibus Conferentiae Episcopalis (§ 2), et quia peti debet votum Consilii presbyteralis (§ 1).

Alii Consultores censem animadversiones ab Organis consultationis factas maximam considerationem mereri, quia revera potestas, Episcopo data, illimitata videtur.

Post accuratam discussionem, Consultores videntur convenire in hoc: ut deleatur § 2; ut nullum tributum imponi possit super eleemosynis missarum; ut agatur de tributo tantum extraordinario imponendo.

Consultor quidam proponit hanc formulam canonis:

« Ius est Episcopo dioecesano, in casu gravis necessitatis, tributum extraordinarium et moderatum christifidelibus necnon personis iuridicis, sive publicis sive privatis imponendi; quod tamen ne fiat nisi auditio Consilio a rebus oeconomicis et Consilio presbyterali. Nullum vero tributum imponi potest super eleemosynis missarum ».

Circa hanc formulam habentur animadversiones duorum Consultorum, quibus placaret in prima parte canonis enunciare potestatem Episcopi imponendi tributa, nulla facta limitatione; in alia parte canonis autem addi possent limitationes huius potestatis, quod scilicet tributum sit extraordinarium, moderatum, in casu necessitatis, auditio Consilio presbyterali etc.

De sententia vero aliorum Consultorum potestas generalis Ecclesiae, « exigendi » nempe quae sunt necessaria, executioni mandatur variis modis: per taxas, per oblationes rogatas, per tributa etc. Quoad tributa decet ut ius positivum moderetur potestatem Episcopi ut ipsa executioni mandetur determinatis sub circumstantiis.

Fit suffragatio an placeat formula canonis: placet 4, non placet 2.

— Quoad § 3, habetur propositio duorum Consultorum ut eadem ponatur tamquam can. 5 bis, hac formula adhibita: « Fideles subsidia Ecclesiae conferant per subventiones rogatas et iuxta normas ab Episcoporum Conferentia prolatas ». Haec formula omnibus Consultoribus placet, uno tantum excepto, qui vellet normam ipsam delere.

Can. 6 (can. 1507)

Nisi aliud iure cautum sit, praefinire taxas pro actibus potestatis exsecutivae gratiosae vel pro exsecutione rescriptorum Sedis Apostolicae vel occasione ministracionis sacramentorum et sacramentalium est conventus Episcoporum provinciae.

— Nonnulli conquesti sunt eo quod in hoc canone adhibeatur verbum « taxae », quod male sonat sensibilitati hodiernae; alii praeterea reprobaverunt quod praevideantur « taxae occasione ministracionis sacramentorum et sacramentalium »; talis enim norma contradicere videtur voto in Synodo Episcoporum anni 1971 facto, ut nempe « proventus sacerdotum separantur ab actibus ministerii, praesertim sacramentalibus ». Suggestum est etiam ut taxae pro actibus potestatis exsecutivae gratiosae et pro exsecutione rescriptorum Sedis Apostolicae approbentur ab ipsa Sede Apostolica.

Consultores concisi sunt quod in pluribus regionibus sacerdotes non alios proventus habent nisi illos qui ipsis praebentur occasione actuum ministerii, concordes tamen sunt quod non per modum impositionis taxae procedi debet. Aliquis Consultor proponit ut verbum « taxta » adhibeatur pro actibus potestatis exsecutivae gratiosae et pro exsecutione rescriptorum Sedis Apostolicae; pro actibus autem sacri ministerii adhibeatur verbum « oblatio ». Ipse Consultor ita formulam canonis proponit:

« Nisi aliud iure cautum sit, conventus Episcoporum provinciae vel districtus regionalis est:

1) praefinire taxas pro actibus potestatis exsecutivae gratiosae vel pro exsecutione rescriptorum Sedis Apostolicae ab ipsa Sede Apostolica approbandas;

2) definire oblationes occasione ministracionis sacramentorum et sacramentalium ».

Formula haec omnibus placet.

— Suggestum est ut addatur § 2 qua fiat remissio ad can. 309 de processibus circa determinationem expensarum iudicialium. Propositio haec non placet Consultoribus, quia haec remissio non videtur necessaria.

Can. 7 (can. 1503)

§ 1. *Salvo iure Institutorum vitae consecratae, vetatur persona quaevis privata sive physica sive iuridica sine proprii Ordinarii et Ordinarii loci licentia, in scriptis data, stipem cogere pro quolibet pio aut ecclesiastico instituto vel fine.*

§ 2. *Conferentia Episcopalis cuiusque nationis potest, auditis Superioribus Institutorum vitae consecratae quorum interest, normas de stipe quaeritanda statuere, quae ab omnibus Institutis servari debent, iis non exclusis quae ex institutione mendicantes vocantur et sunt, salvo tamen eorundem mendicandi iure.*

— Nonnulli conquesti sunt eo quod in § 1 tribuatur omnibus Institutis vitae consecratae ius colligendi stipem; quod ius tantum religionibus mendicantium tribuitur a CIC. Opportunum videtur ut norma servetur prout est in CIC ad abusus vitandos. Omnes Consultores, hanc suggestionem approbant et ideo clausula initialis ita mutatur: « *Salvo iure sodalium religionum mendicantium...* ».

— Est qui censeat normam § 1 esse nimis restrictivam, ita ut quaevis persona physica prohibetur ne stipem colligat pro aliquo opere caritatis. Consultores autem normam rigidorem praferunt, ut auctoritates ecclesiasticae, verbis legis inniti, abusus refrenare possint.

— Suggestum est ut in § 1 addatur parochos non indigere licentia Episcopi ad stipem colligendam. Consultores censem parochum, qua talem, non esse personam privatam.

— Aliquis Consultor attentis nonnullis suggestionibus ab Organis consultationis factis, proponit ut § 2 ita redigatur: « *Episcoporum Conferentia potest normas de stipe quaeritanda statuere, quae ab omnibus servari debent, iis non exclusis qui ex institutione mendicantes vocantur et sunt* ». Formula haec omnibus placet.

Can. 8 (novus)

In omnibus ecclesiis et oratoriis, etiam ad Instituta vitae consecratae pertinentibus, quae de facto habitualiter christifidelibus pateant, Ordin-

narius loci praecipere potest ut specialis stips colligatur pro determinatis inceptis paroecialibus, diocesanis, nationalibus vel universalibus, ad Episcopalem Curiam postea sedulo mittenda.

— Suggestum est ut addatur: « ...etiam ad Instituta *exempta* vitae consecratae... » (omnibus placet).

— De sententia alicuius Organi consultationis nimia auctoritas tribuitur Episcopo praecipiendi speciales stipes in dioecesi colligendas. Consultores censem ex tenore canonis patere indolem extraordinariam huiusmodi stipitis colligendae, quod quidem importat moderatum usum huius facultatis Episcopi.

Can. 9 (can. 1536)

§ 1. *Nisi contrarium probetur oblationes superioribus vel administratoribus cuiusvis personae iuridicae ecclesiasticae eorumve adiutoribus factae, praesumuntur ipsi personae iuridicae factae.*

§ 2. *Oblationes de quibus in § 1 repudiari nequeunt sine licentia Ordinarii*

— Suggestum est ut dicatur « nisi contrarium constet » loco « probetur » (omnibus placet).

— De sententia alicuius organi consultationis praxis nunc vigens contradicere videtur praesumptionem in § 1 statutam, quare melius esset normam mutare. Consentit unus Consultor sed omnes alii Consultores retinere volunt illam praesumptionem.

— Consultor quidam proponit ut deleantur verba « eorumve adiutoribus ». Propositio placet omnibus, excepto uno Consultore.

— Alter Consultor proponit ut in § 2 addatur « ...cuiusvis personae iuridicae ecclesiasticae *etiam privatae*... » (placet omnibus).

— Suggestum est ut addatur oblationes aliquo onere modali vel conditione gravatas acceptari non posse sine licentia Ordinarii. Suggestio omnibus placet, attamen, sugerente aliquo Consultore, addi debet « salvo praescripto can. 40 », scilicet de sollemnitatibus servandis, quando conditio patrimonialis Ecclesiae peior fieri possit.

— Nonnulli proposuerunt ut § 2 ita compleatur: « ...repudiari nequeant, nisi iusta de causa et, in rebus maioris momenti, de licentia Ordinarii » (omnibus placet).

— Consultores addere volunt normam qua prohibeatur destinatio oblationum diversa a destinatione ab oblatoribus indicata.

His dictis formula canonis communi consilio ita redigitur:

§ 1. Nisi contrarium constet, oblationes superioribus vel administratoribus cuiusvis personae iuridicae ecclesiasticae, etiam privatae, factae presumuntur ipsi personae iuridicae factae.

§ 2. Oblationes de quibus in § 1 repudiari nequeunt, nisi iusta de causa et, in rebus maioris momenti, de licentia Ordinarii; eiusdem Ordinarii licentia requiritur ut acceptentur quae onere modali vel conditione gravantur, firmo praescripto can. 40.

§ 3. Oblationes a fidelibus ad certum finem factae nonnisi ad eundem finem destinari possunt.

Can. 10 (can. 1508)

Praescriptionem, tamquam acquirendi et se liberandi modum Ecclesia pro bonis temporalibus recipit, ad normam cann. 173-175 (de normis generalibus).

De hoc canone non factae sunt animadversiones.

Adunatio diei 22 iunii 1979

Can. 11 (can. 1510)

§ 1. Res sacrae quae in dominio privatorum sunt, praescriptione acquiri a privatis personis possunt, quae tamen eas adhibere nequeunt ad profanos usus; si vero consecrationem vel benedictionem amiserint, libere acquiri possunt etiam ad usus profanos, non tamen sordidos.

§ 2. Res sacrae quae in dominio privatorum non sunt, non a persona privata, sed a persona iuridica ecclesiastica contra aliam personam iuridicam ecclesiasticam praescriptione acquiri possunt.

§ 3. Sacrae habentur res quae consecratione vel benedictione ad divinum cultum destinatae sunt.

— Consultor quidam proponit ut non admittatur omnino acquisitio rerum sacrarum per praescriptionem, ita ut omni modo vitetur dissipatione ingentis patrimonii, traditione venerabilis, in favorem privatorum qui saepe saepius illas res sacras adhibent in domibus suis ornandis. Alii Consultores, etsi talem rerum conditionem reprehendant, censem praesentem canonem supprimi non posse, quia abusus vitari debent ope vigilantiae legitimae auctoritatis.

— Aliquis Consultor, attentis etiam suggestionibus quorundam Organorum consultationis, proponit ut can. 11 ita redigatur:

« Res sacrae, quae scilicet dedicatione vel benedictione ad cultum divinum destinatae sunt si in dominio privatorum sunt, praescriptione acquiri a privatis personis possunt, sed eas adhibere ad usus profanos non licet, nisi dedicationem vel benedictionem amiserint. Si vero ad personam iuridicam ecclesiasticam publicam pertinent, tantum ab alia persona iuridica ecclesiastica publica acquiri possunt ».

Haec formula canonis omnibus Consultoribus placet.

Can. 12 (can. 1511)

§ 1. *Res immobiles, mobiles pretiosae, iura et actiones sive personales sive reales, quae pertinent ad Sedem Apostolicam, spatio centum annorum praescribuntur.*

§ 2. *Quae ad aliam personam iuridicam ecclesiasticam, spatio triginta annorum.*

— De sententia quorundam organorum consultationis perlongum videtur spatium centum annorum de quo in § 1 et spatium triginta annorum de quo in § 2. Consultores autem censem non adesse rationem sufficientem recedenti a norma CIC quae statuit illos terminos.

— Aliquis proposuit ut non admittatur praescriptio quoad bona Sedis Apostolicae. Consultores non ita sentiunt, uno tamen excepto, qui talem propositionem approbat.

— Suggestum est ut pro praescriptione bonorum quae pertinent ad personam iuridicam ecclesiasticam admittatur idem spatium annorum a lege civili statutum. Propositio non placet Consultoribus ne nimia disparitas habeatur in diversis regionibus.

— Nonnulli proposuerunt ut in § 2 dicatur « personam iuridicam publicam ecclesiasticam... » (omnibus placet).

Can. 16 (novus; Ecclesiae Sanctae, 8)

§ 1. *Advigilent Episcoporum Conferentiae, iuxta normas ab ipsis condendas, ut in singulis dioecesis habeatur speciale institutum quod bona vel oblationes colligat eum in finem ut honestae necnon fundamentaliter aequali substantiationi omnium clericorum, qui in populi Dei servitium munere funguntur, apte provideatur.*

§ 2. In nationibus ubi praevidentia socialis in favorem cleri nondum apte ordinata est, curent Conferentiae Episcoporum pro suo cuiusque territorio ut habeantur instituta quibus, sub vigilantia Hierarchiae, securitati sociali clericorum satis provideatur.

§ 3. In singulis dioecesibus vel regionibus, modis ab Episcoporum Conferentiis definiendis, laicorum etiam opera adhibita, constituatur quantum fieri possit, massa communis qua valeant Episcopi obligationibus erga alias personas Ecclesiae deservientes satisfacere variisque dioecesis necessitatibus occurrere quaque etiam possint dioeceses divitiores pauperioribus subvenire.

§ 4. Pro diversis locorum adjunctis, fines de quibus in §§ 2 et 3 aptius obtineri possunt per instituta dioecesana inter se foederata, vel per cooperationem aut etiam per convenientem consociationem pro variis dioecesibus, imo et pro toto territorio constitutam. Foveantur insuper relationes, quoties id expedire videatur, inter huiusmodi instituta diversarum nationum ad eorum maiorem efficacitatem promovendam ac tuendam.

§ 5. Haec instituta ita, si fieri possit, constituenda sunt ut efficaciam quoque in iure civili obtineant.

— Ante omnia fit quaestio inter Consultores de loco ubi hic canon collocari debeat. Unus Consultor proponit ut ponatur sub Tit. De administratione bonorum; alii Consultores, post breve examen textus canonis, convenient plura esse elementa canonis quae meliorem collocationem obtinent sub rubrica « De administratione bonorum », etsi non desint elementa ob quae canon collocari etiam posset sub rubrica « De acquisitione bonorum ». De unanimi consensu Consultorum hic canon collocabitur post can. 18 schematis.

De § 1

— Suggestum est ut institutum de quo in § 1 et massa communis de qua in § 3 unificantur, ita ut unum atque idem institutum provideat sive sustentationi clericorum sive obligationibus erga alias personas Ecclesiae deservientes.

Consultoribus propositio non placet quia mens Concilii Vat. II videtur esse ut duo illa instituta distincta maneant. Quod opportunum quidem est, nam in quibusdam dioecesibus iam provisum est per aliquod

institutum vel alio modo sustentationi clericorum, et ideo constitui ibi debet tantum alia massa de qua in § 3.

— De sententia cuiusdam Organi consultationis praemitti debet norma qua dicatur modo generali de iusta remuneratione eorum qui Ecclesiae deserviunt, ratione habita tum ipsius munieris naturae tum locorum temporumque conditionum.

Consultores respondent talem normam haberi in Lib. De Populo Dei (can. 141).

— Plures conquesti sunt eo quod in § 1 tribuatur Episcoporum Conferentiis facultas « advigilandi » ut in singulis dioecesibus etc... Talis facultas non potest admitti, quia contradicit sanae doctrinae ecclesiologicae de relationibus Episcopos inter et Episcoporum Conferentiis. Consultores concordant circa talem animadversionem.

— Nonnulli proposuerunt ut praecepto de quo in § 1 addatur clausula « nisi aliter sustentationi clericorum provisum sit ». Propositio omnibus placet.

— Pluribus minus placuerunt verba § 1 « necnon *fundamentaliter aequali* substantiationi omnium clericorum », quae contradicere videntur menti Concilii Vat. II de ratione habenda « tum ipsius munieris naturae cum temporum locorumque conditionum » in determinanda retributione.

Cum de hac quaestione sustentationis et retributionis clericorum fuse sermo sit in can. 141 De Populo Dei, Consultores decernunt ut in praesenti canone dicatur « ...sustentationi clericorum... *ad normam can. 141* (De Populo Dei) provideatur ».

— Quoad clericos de quorum sustentatione provideri debet ad normam § 1, nonnulli petierunt ut melius determinetur quinam clerici hoc iure gaudent. Hac de causa aliqui proposuerunt ut mentio fiat non tantum clericorum qui « servitium munere funguntur », sed etiam « eorum qui servitium munere functi sunt ». Consultores autem respondent talibus clericis, qui servitium munere « functi sunt », provideri per pensionem de qua in § 2.

— Alii petierunt ut excludantur religiosi ab hoc iure, alii vero ut includantur non solum clerici incardinati sed etiam qui « vi conventionis » servitium praestant in dioecesi. Consultores respondent haec et alia huiusmodi statui ac determinari debere in statutis massae communis seu instituti dioecesani.

— Alii tandem petierunt ut excludantur ab hoc iure diaconi permanentes. Consultores respondent de hac quaestione normas haberi in can. 141 § 2 De Populo Dei.

His dictis, Consultor quidam proponit hanc formulam § 1, quae omnibus placet:

« Habeatur in singulis dioecesibus speciale institutum quod bona vel oblationes colligat eum in finem ut substantioni clericorum, qui in favorem dioecesis servitium praestant, ad normam can. 141 (De Populo Dei) provideatur, nisi aliter eisdem provisum sit ».

De § 2

— Suggestum est ut deleantur verba « sub vigilantia Hierarchiae ». Propositio placet Consultoribus, qui censem illa verba esse superflua, cum ius vigilandi competit Hierarchiae ex natura rei: illi ipsi qui institutum constituunt, ius habent vigilandi ut normae ab ipsis datae serventur.

— Aliquis Consultor proponit ut dicatur « ...curet Episcoporum Conferentia ut habeatur institutum quo securitati sociali clericorum satis provideatur » (omnibus placet).

De § 3

— Consultor quidam proponit ut deleantur verba « modis ab Episcoporum Conferentiis definiendis », quia non opportuna videtur haec facultas Conferentiae quae limitat facultatem Episcopi. Alii Consultores idem sentiunt; praeterea delere volunt verba « vel regionibus ».

— De sententia alterius Consultoris deleri possunt verba « laicorum etiam opera adhibita », utpote superflua, cum nullibi vetitum habeatur de hac re. Alii Consultores concordes sunt.

— Unus Consultor animadvertis verba « quantum fieri possit » esse inepta, quia in canone sermo fit de « obligationibus » satisfaciendis et ideo constitutio huius massae necessaria apparet. Alter Consultor proponit ut dicatur « quatenus opus sit » loco « quantum fieri possit ». Quae propositio omnibus placet.

De § 4

— Unum Organum consultationis proposuit ut haec norma supprimatur, quia talis foederatio institutorum imaginem praebet Ecclesiae

nimirum divitis. Propositio non placet Consultoribus, quia, attenta realitate rerum, foederatio illa fovenda videtur ut variis obligationibus aptius obveniri possit.

— Suggestum est ut admittatur possilitas avertendi pecuniam ab una massa in favorem alterius massae communis. Unus Consultor censemt hoc possibile esse, servatis de iure servandis, quin expresse in lege dicatur. Alii Consultores idem sentiunt.

Adunatio diei 23 iunii 1979

Nonnulli suggesserunt ut habeatur in Codice norma aliqua de morali obligatione quam habent dioeceses contribuendi ad media quibus Sedes Apostolica indiget, ut sua munera exercere valeat.

Cum haec suggestio Consultoribus placeat, sequentes formulae proponuntur circa hanc quaestionem:

a) « Meminerint Episcopi, ratione vinculi unitatis et caritatis, iuxta propriae dioecesis facultates, ex oblationibus fidelium aliquid contribuere ad media quibus Sedes Apostolica, secundum temporum condiciones indiget, ut servitium erga Ecclesiam universam a Deo sibi concredidit, rite exercere valeat ».

b) « Singulæ dioeceses ne praetermittant, modo propriae oeconomicæ conditioni proportionato, necessitatibus Romani Pontificis pro gubernio universæ Ecclesiae contribuere ».

c) « In votis est ut dioeceses, quantum fieri possit, stipe etiam speciali in hunc finem colligenda, subsidium quotannis afferant Apostolicae Sedi, ut sumptus, quos muneris adimpletio secumfert, suppeditare valeat ».

Consultores post breve examen harum formularum, preferunt primam formulam, quam tamen, communi consilio, ita mutant:

« Episcopi, ratione vinculi unitatis et caritatis, iuxta propriae dioecesis facultates, contribuant ad media procuranda, quibus Sedes Apostolica secundum temporum conditions indiget, ut servitium erga Ecclesiam universam rite praestare valeat ».

Unus Consultor vellet verbum « Ordinarii » loco « Episcopi », ita ut norma teneat etiam Ordinarios religiosos. Sed alii Consultores preferunt verbum « Episcopi », quia pertinet ad Episcopos specialem

stipem imperare, in omnibus ecclesiis, etiam religiosorum, forte colligendam. Ceterum Consultores vitandum esse censem modum dicendi quo praebeatur idea quasi duplicitis hierarchiae.

Can. 17 (novus)

In regionibus ubi beneficia proprie dicta adhuc existunt, Episcoporum Conferentiarum est, opportunis normis cum Apostolica Sede concordatis et ab ea approbatis, huiusmodi beneficiorum regimen moderari, ea tamen lege ut ratio officii omnino praevaleat et reditus immo ipsa dos beneficiorum ad institutum de quo in can. 16, § 1 (paulatim) conferantur.

— Nonnulla Organa consultationis quaestiones ponunt de natura et ambitu reformationis systematis beneficialis quae habetur in formula canonis, quae non videtur plene congruere cum mente Concilii Vat. II (cf. Decr. *Presbyterorum Ordinis*, n. 20). Vi huius canonis enim non assequitur suppressio, neque illa radicalis reformatio systematis beneficialis ad rescindendum nexum illum per quem titularis officii suos facit dotis beneficialis fructus; vel saltem non clare ex formula canonis eruitur talem esse mentem Supremi Legislatoris.

Consultores hanc quaestionem attente perpendunt; ipsi tenent in hac re praescindi non posse ab Episcoporum Conferentiis, quae, attentis adjunctis singularum regionum et relationibus cum civili auctoritate forte exsistentibus, decernere debent tempus huius reformationis, opportunis normis cum Apostolica Sede concordatis et approbatis. Circa exitum finalem, etsi per gradus assequendum, Consultores censem opportunitum esse ut tandem ad suppressionem beneficiorum deveniatur. Quare ipsi formulam canonis ita mutant:

« *In regionibus ubi beneficia proprie dicta adhuc existunt, Episcoporum Conferentiarum est, opportunis normis cum Apostolica Sede concordatis et ab ea approbatis, huiusmodi beneficiorum suppressionem moderari, ita ut reditus immo ipsa dos beneficiorum ad institutum de quo in can. 18 bis § 1 paulatim deferantur ».*

Can. 18 (can. 1518)

Romanus Pontifex vi primatus iurisdictionis est omnium in Ecclesia bonorum supremus administrator et dispensator.

— De sententia alicuius Organi consultationis supprimenda videtur clausula « *vi primatus iurisdictionis* » cum facile reducat competentiam

Romani Pontificis in bona temporalia ad illud dominium altum, quod potestatibus saecularibus agnoscitur. Romanus Pontifex enim dicitur « supremus administrator et dispensator », quod amplius comprehendit, quam simplex primatus iurisdictionis. Consultores autem non idem sentiunt; secundum ipsos verba « vi primatus iurisdictionis » qualificant naturam potestatis supremi administratoris et dispensatoris, quae non est dominica ac si Pontifex esset dominus bonorum ecclesiasticorum. Vi huius potestatis enim Summus Pontifex potest disponere de bonis ecclesiasticis in ordine ad assecutionem finium ob quos Ecclesia illa bona possidet.

— Cum admissa sit in praecedentibus canonibus notio bonorum ecclesiasticorum, in praesenti canone dici debet: « ...est omnium bonorum *ecclesiasticorum* supremus... ».

— Aliquis Consultor proponit ut dicatur « vi primatus *regiminis* » loco « iurisdictionis » (omnibus placet).

Can. 19 (novus)

Massa bonorum ex diversis dioecesibus provenientium administratur secundum normas a Conferentia Episcopali legitime statutas.

Consultoribus placet ita canonem emendare: « ...normas ab Episcopis quorum interest legitime concordatas ».

Can. 20 (can. 1519)

§ 1. *Ordinarii est sedulo advigilare administrationi omnium bonorum, quae ad personas iuridicas pertinent suae potestati subiectas, salvis legitimis praescriptionibus, quae eidem potiora iura tribuant.*

§ 2. *Habita ratione iurium, legitimarum consuetudinum et circumstantiarum, Ordinarii, editis peculiaribus instructionibus intra fines iuris universalis et particularis, universum administrationis bonorum negotium ordinandum current.*

— Consultor quidam proponit ut dicatur: « ...quae ad personas iuridicas *publicas* sibi subiectas pertinent, salvis... » (omnibus placet).

— Alter Consultor proponit ut dicatur « salvis legitimis titulis, quibus eidem potiora iura tribuantur » (omnibus placet).

— In § 2 addi debet « ...bonorum *ecclesiasticorum* negotium... ».

Can. 21 (can. 1520, § 3)

Episcopus dioecesanus ad actus ponendos administrationis maioris momenti Consilium a rebus oeconomicis de quo in can. 306 (De Populo Dei) audire debet; eiusdem tamen Consilii assensu eget, praeter casus iure universalis vel tabulis fundationis specialiter expressos, etiam ut expensas faciat extraordinarias, quae scilicet ob adiuncta specialia in ratione erogationum non praevisas admittendas existimet.

— Suggestum est ut Episcopus ad actus ponendos administrationis maioris momenti audiat non solum Consilium a rebus oeconomicis sed etiam alterum organum dioecesanum, ita ut duplex habeatur votum de re agenda. Suggestio placet Consultoribus, qui decernunt ut audiatur etiam Collegium Consultorum de quo in can. 316 (De Populo Dei).

— Nonnulli petierunt ut melius determinetur quinam sint actus administrationis maioris momenti. Unus Consultor censem normam esse claram, quin aliqua determinatio addatur; ceterum cum Episcopus non indigeat consensu, sed tantum audire debeat, ulterior determinatio esset fere inutilis. Alii Consultores autem censem opportunam esse aliquam determinationem quae respiciat statum oeconomicum dioecesis, a quo praescindi non potest ad videndum quinam actus sint maioris momenti; quare ipsi ita formulam canonis emendare volunt:

« *Episcopus dioecesanus ad actus administrationis ponendos qui, attento statu oeconomico dioecesis, sunt maioris momenti, consilium a rebus oeconomicis et collegium Consultorum audire debet... ».*

— Circa alteram partem canonis Consultor quidam proponit ut ita redigatur: « *eorundem tamen consensu eget, praeter quam in casibus iure universalis vel tabulis fundationis specialiter expressis, ad ponendos actus extraordinariae administrationis ».* Haec propositio omnibus placet.

SESSIO II

(diebus 12-16 novembribus 1979 habita)

Adunatio diei 12 novembribus 1979

Can. 22

Praeter munera de quibus in can. 308 (De Populo Dei) Oeconomus committi possunt ab eodem Episcopo munera de quibus in cann. 20, § 1 et 24.